


**05**

**A**

**1061**



21  
*IN NOMINE JESU!*  
DE JESU CHRISTI RE-  
SURRECTIONE

*Ex Evang. Fer. 1. Paschal.*

P R Æ S I D E

WILHELMO LYSERO D. & P. P.

*Respondente*

M. HIERONYMO ÆGIDIO NYMMANNO Misn:

Disputatio publicè habebitur in auditorio magno,  
*ad d. 10. April. 1645.*

WITTEBERG Æ

---

Typis MICHAELIS Wende.



1907 A 50

I. N. J.  
ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ

THESIS. I.



Um Regius Propheta *David* sive suam, quod *Musulo & Treveto*, sive populi sub Nabuchodonosore & Antiocho, quod ple- risq; aliis placet, calamitatem & miseriam consi- derasset, cum gravissimo symptomate sensus iræ divine, ut videretur furor DEI sine temperamen- to misericordiæ, sine ullâ finis spe sævire; humanam quidem a- gnoscit infirmitatem, illarum cogitationum causam; fidei tamen oculis altius elevatis, inq; DEUM directis exclamat, *mutationes* (sunt) *dextra excelsi* Ps. LXXVII. ii. יְמִין עֲלֵיוֹן Die rechte des Herrn tan alles endern (qui שְׁנוֹת annos reddunt, quos & vox illa sæpè significat, sensum planè hiulcum faciunt, ut aliis assum- tis vocibus implendus sit: nos ergo aliorum explicationem ap- probamus, qui putant vel nomen esse *mutationes*, principalem radicis significationem hîc habens; vel infinitivum, *mutare est* vel *convenit dextra altissimi*), Atque hanc ipsam felicem mutatio- nem atq; Catastrophen, illustri exemplo populi Israëlitici, ex for- nace ferreâ servitutis Ægyptiacæ liberati, & translati in terram promissam, luculentè demonstrat: ut ita evidens planè certa sit conclusio, *Mutationes sunt dextera Excelsi.*

II. Multo magis nos *Paschali* hoc die veritatem effati hujus experimur, meritoq; ingeminamus hodiè cum gaudio, *Mutatio hac dextra Excelsi.* Neq; enim vel Davidis exilium sub Saule & Absolone, ejusq; in regium thronum elevatio; vel populi Israeli- tici ex Ægypto aut Babylone Antiochive Tyrannide liberatio, ullatenus conferri potest, sive mutationem ipsam, sive illud in quo mutatio contigit, consideremus, cum mutatione quam hodie dextra Excelsi effecit; ut non planè à vero aberrarit *Valentia*, qui Psalmum hunc literaliter de Christo explicandum esse, aestima- vit.

III. Magna enim omninò & admirabilis mutatio intra tri- duum facta, à & in filio DEI, qui dextra Altissimi, ut similis antea

contigerit: nunquam. Nam præterito *Parasceves* die abundabat: peccatum atq; iniustitia potens erat, omnemq; suam in Christum potentiam exerebat: Hæc enim eum ligavit, hæc flagellavit, hæc condemnavit & crucifixit, hæc eum occidit, *traditus enim & mortuus est propter peccata nostra Rom. IV, 25.* sed *justitia* potentior fuit & superabundavit, ut omnibus exinde apparet, quod liber, quod integer, quod vivus ex sepulchro propter justitiam nostram resurrexit. Agnoscimus ergo hîc meritò & dicimus, *hæc mutatio dextra Excelsi!* Ante triduum *in DEI* potens erat, hæc sæviebat contra unigenitum DEI filium, ob aliena peccata, ut in horto sanguinem sudaret, & translationem calicis sed frustra peteret, ut in cruce verbis inexplicabilibus, *DEUS meus, DEUS meus, ut quid me dereliquisti,* ingemisceret: at per passionem & mortem pro merita *gratia* potentior fuit; filius siquidem DEI perfectissima sua obedientia usq; ad mortem crucis *Phil. II. 8.* patrem placavit, ut omnibus inde apparet, quod sponsor noster liber ex carcere, & quidem summa cum gloria dimittitur, *λύτῳ* enim pro aliorum debitis plenè solutum exin evidenter constat. Agnoscimus ergo hîc merito & dicimus, *hæc mutatio dextra Excelsi!* Nuper mors potens erat, & quod inde à nato Christo quæsierat, in effectum demum deduxit, animam enim sanctissimam à purissimo separavit corpore, ita ut inclinato capite spiritum emitteret, videbaturq; ita mors victor esse. Sed ecce *vita* potentior fuit, vitâ enim morte sua *morti pestis fuit Hos. XII. 14.* ut hodie apparet, dum ex sepulchro, mortis nempe regia, vivus redit, vivosq; secum plurimos educit. Agnoscimus ergo hîc merito & dicimus *Hæc mutatio dextra Excelsi!* Tùm potens erat *Satanas*, Christo ipso dicente hanc esse *horam potestatis tenebrarum. Luc. XXII. 53.* Satanâs namque omnes vires in eum dirigebat, virus effundebat, adeoq; serpens antiquus calcaneum ejus graviter mordebat. Sed *semen mulieris*, contritor serpentis potentior fuit, caput ejus contrivit, atq; *per mortem abolevit robur τῷ κρείττῳ mortis habentem, hoc est diabolum Hebr. II. 14.* ut hodiè apparet, dum ultimas ejus vires, imbelles sepulchri custodes, qui cum principe suo ipsum detinere non poterant, redivivus miserè prostravit. Agnoscimus ergo hîc merito & dicimus, *hæc mutatio dextra Excelsi!* Deniq; potens ibi *infernus* erat, unde ipse conqueritur *Pf. XII. 5, 6. Torrentes Belial terre.*

*terrebant me, Funes inferni circumdederunt me. Sed rex caelorum potentior fuit, nec enim tunc anima ejus doloribus infernalibus absorpta fuit, sed victor mortuus, hodie ut ex terrae motu apparet, triumphum suum per infernum duxit, ejusque claustra penitus dissipavit. Agnoscimus ergo hic merito & dicimus, Haec mutatio dextera Excelsi.*

IV. Dextrae Excelsi omnino haec mutatio adscribenda. Brachium enim Domini juxta *Es. LIII. 1. & Dextra Domini fecit hanc virtutem Ps. CXIX.* Non ita ut alias ante extra se fecerat, sed facit hanc in seipsam mutationem, dum assumptam in unitatem personae humanitatem, è miseria, passione atque morte ereptam redivivam producit, *salvavitque ita seipsum brachium ejus Es. LXIII. 5. & qui vir dolorum Es. LIII. 3. Benoni in passione fuerat; jam apparet Benjamin & filius dextrae, declaratus filius DEI in virtute ex resurrectione mortuorum Rom. I. 4.* Ipsa ergo praesens festivitas nos instigat ut porro agamus de tam mirabili mutatione dextrae Excelsi, nempe

## DE RESURRECTIONE CHRISTI.

*Exurgat DEUS & dissipentur inimici ejus, & justi latentur atque exultent ad facies  
DEI, & gaudeant in letitia.*

*Eὐχῆς.*

V. Mortuum esse Christum pagani ac inimici ejus credunt, resurrexisse autem Christum, propria fides est Christianorum ait Hipponensis Praesul contr. Faustum lib. 16. c. 29. Atque ita etiam apud Christianos qui hunc fidei articulum in Symbolo Apostolico agnoscunt, credo in Jesum Christum qui tertia die resurrexit à mortuis, ambigi nequit de doctrinae hujus dignitate necessitate atque utilitate: illud propter resurgentis Domini Majestatem, cui redivivo coelum, sol, terra omnisque obediens creatura congratulatur: istud propter haereticorum pravitatem; in nulla enim re sic contradicitur Christianae fidei quam in resurrectione carnis, Aug. in Ps. 88. hoc propter mei tuique ipsius conditionem: nihil enim ad vitam ritè instituendam, ad mortem placide obeundam tam efficax esse potest, quam sedula Resurrectionis CHRISTI consideratio atque meditatio.

A. 3)

IV. Hanc:

VI. Hanc ipsam ita definimus: *Resurrectio CHRISTI est actus Exaltationis* ἡ ἀνάστασις, *quo per eandem cum Patre potentiam, ex sepulchro eduxit corpus animæ readunitum & glorificatum, ut in opere Mediatorio perficeret nostram salutem.*

## RESURRECTIO CHRISTI.

VII. *Ἀνάστασις Ἰησοῦ Χριστοῦ, Resurrectio Domini Jesu Christi* quoad literam habetur, *I. Pet. 1.3. III. 21. Act. I. 22. IV. 33. Rom. I. 4.* Res ipsa in nostrâ historiâ invenitur, primumq; verbum quod immediatè nostrum Evangelium sequitur est ἀνάστασις δὲ ὁ Ἰησοῦς. Dicitur vero ita apud Græcos & Latinos, Germanos etiam ab iteratâ statione ejus quod ceciderat: cumq; Salvator noster ipse suam mortem *Job. XII. 24.* describat, *quod granum frumenti in terram cadens moriatur*, utiq; rectè de eodem quando idem numero corpus redit, quod iterum stet atque resurgat, dicitur. In nostro Evangelio vox ἠγέρθη *excitatus est*, habetur, quæ etiam in activa formâ de Christo usurpatur, *Johan. II. 19.* Usurpatur etiam de hoc Christi actu vox ἀνάστασις *Rom. XIV. 9. ζωοποίησις Ezech. I. 18. reviviscencia & vivificatio.* Siquidem *Resurrectio Christi* accipitur *vel latè*, ut istam simul includat, *vel strictè*, sicq; à reviviscentiâ distincta, sicut dormiens evigilat prius, dein surgit. Dein *resurrectio Christi*, accipitur *vel præcisè*, ut est affectio humanitatis ex Exaltatione ad illam resultans: *vel plenè* cum suo fructu atq; fine; sicq; est ἀποτέλεσμα ad officium Mediatorium pertinens. De plane *Emphatica* vocis hujus significatione *Job. XI. 25.* alibi agitur.

## EST.

IX. Negant hoc Judæi simul & Ethnici, atque ita negavit totus mundus, antequam ad Christum converteretur: olim enim totus mundus in Judæos & Ethnicos dividebatur: unde supra *Augustinum*, *hanc fidem Christianorum propriam esse*, dicentem audivimus. Sed & inter Christianos inventi sunt, qui id negarent, non tantum corde, ut *Athei* atque *Epicuræi*: verum etiam quidam ore, quales *Cerinthiani* olim fuerunt, ut & contra quos *I. Cor. XV.* pugnat *Aposto-*



postolus, atq; de *Christolytis Damascenus* refert, statuisse illos, quod  
 Christus humanitatem in inferno reliquerit. Indirectè quoque  
*Calviniani* nonnulli impugnant, sanguinem CHRISTI, qui pars cor-  
 poris integralis, sub cruce computruisse blasphemantes: quibus af-  
 fines *Pontificii*, tam copiosas sanguinis Christi reliquias hinc inde  
 ostendentes, ut si per phlebotomiam uni corpori tantum extrahen-  
 dum foret, illud plane exsangve, redderetur: Sic ergo & Christi cor-  
 pus redivivum vel exsangve vel novo sanguine, non illo quo no-  
 stra redemptio perfecta, præditum fuisset, quod utrumque absur-  
 dum. Contra omnes illos resurrectionem Christi impugnantes an-  
 gelicum hîc producimus testimonium sæpius repetitum: dicit  
 id noster Angelus in sepulchro sedens, & à mulieribus cum mo-  
 numentum ingressæ essent visu s, *Surrexit non est hic*: ad ocularem  
 inspectionem provocans, *ecce locus ubi posuerunt eum*. Dixerat idem  
 prior Angelus apud *Matthæum*, extra sepulchrum in lapide revo-  
 luto qui sedebat, & ut mulieres ingrederentur hortabatur. Atq;  
 ut in ore duorum veritas consisteret, dum ad secundi angeli  
 jussu mulieres oculos ad locum ubi positus fuerat dirigunt, vi-  
 dent duos angelos, id ipsum quoq; asserentes. *Luc. XXIV*. Te-  
 stificaturi idem fuissent duo angeli, quos *Maria Job. XX*. con-  
 spicit, unum ad caput, alterum ad pedes sedentem, nisi Christus  
 realis & authenticus suæ resurrectionis testis prævenisset. D. Paulus  
*1. Cor. XV. 5. 6.* cum ad unum, plures, omnes, nempe Apostolos, &  
 tandem quingentos testes provocaret, præmittit infallibilem de-  
 monstrationem (sicut & angeli ex Christi verbo petunt) à Spiritu  
 Sancto in Scripturis loquentis testimonio, desumptam. Et  
 subjungit demonstrationem à posteriori, quod alioqui prædica-  
 tio, fides, spes omnisque nostra salus foret peritura.

## ACTUS EXALTATIONIS.

IX. Terminus Exinamitionis *Mors* Christi statuitur *Phil. II. 8.*  
 cujus immediatum consequens & annexum *sepultura*. *Resurrectio* er-  
 go ad Exaltationem pertinet, non quidem ratione termini, qui  
 dextra DEI est; sed ratione gradus secundi, in quo victorem  
 mortis mundo se redivivum monstravit. Hinc & cum *Maje-  
 state & gloriâ peracta fuit*, cujus haut obscura in historiâ Evange-  
 lica in-

câ indicia. *Ex ministerio enim angelorum* ea effulget, qui hic in stolis candidis apparent, ipsiusq; resurrectionis præcones existunt. Cum in Monomachiâ in deserto Sathanam fugasset *Matth. IV. ii.* angeli ad eum accedentes ministrabant ei, quod ipsum radius quidam Majestatis erat in ipsâ humilitate effulgentis: at jam bello plenè peracto dum se sistunt, victoriam canunt, resurrexisse clamant, ipsiq; vacuo sepulchro quasi insultant, non scintillis tantum gloriæ, sed plenis ejusdem radiis resplendentibus: utiq; finitam miseriam, Majestatem vero jam inchoatam demonstrant. Quod ipse eorum habitus ostendit: *aspectus enim erat sicut fulgur*, unde hostium terror & fuga; *& amictus candidus veluti nix*, unde bonorum gaudium atque solatium, Triumphus enim signum & victoriæ. Ad eandem quoque gloriam & Majestatem Terræ motus à Mattheo descriptus spectat: *Leo cubile in quo habitat tremere facit*, ait *Isidorus*: ita Leo de tribu Juda victor *adspicit terram redivivus & tremere facit Psal. CIV. 32.* Pertinet ad eam itidem, penetratio lapidis sepulchralis illæso sigillo; si enim Matthæum adimus, audimus quidem lapidem revolutum esse ab angelo, sed ad resurrectionis jam factæ demonstrationem, *surrexisse* vero angelus idem ait, atque ita jam ante factum hoc testatur: quo cum pii veteres consentiunt, ipsiq; nonnulli Calviniani id fatentur, quamvis alii hostes quippe gloriæ Christi negent. Ad gloriam denique resurrectionis referenda fuga & terror hostium custodientium; comitatus vicissim sanctorum simul resurgentium. Ex quibus omnibus illud Pauli *Rom. I. 4.* recte infertur. *Declaratus est filius DEI in virtute, secundum Spiritum vivificantem ex resurrectione mortuorum, Jesu CHRISTI Domini nostri.*

Θ Ε Α Ν Θ Ρ Ω Π Ο Τ .

X. *JESUM Nazarenum crucifixum surrexisse*, Angelicus concionator hic ait, quem prior apud Matthæum appellavit, *Domini- num illic positum & sepultum*: duo vero apud Lucam angeli ad Christi verbum provocant, quando dixit, *quia oportet filium hominis tertia die resurgere*. Unum idemque semper subjectum, Persona nempe, illaque composita, denominatione & descriptione, nunc ab officio, nunc ab humanâ Naturâ, ejusque affectionibus, educationis sc: loco, ac præcedente passione & morte, desum-

desumptâ. Actiones enim & passiones personæ conveniunt, cum & humana Natura sine personalitate à Filio DEI communicari nec esse nec quicquam de eâ dici possit. Quatenus ergo *Resurrectio præcisè* consideratur, prout est gradus secundus Exaltationis (voce illa latius, in sensu tamen Biblico pro reali alicujus doni sublimioris, Exinanitioni oppositi, collatione, accepta, ut non tantum plenarium Majestatis divinæ in Sessione ad dextram DEI exercitium, sed & gradus liberè electus ad illud fastigium ascendendi, priusq; victoriam suam in nostrum commodum demonstrandi, significet) convenit huic personæ secundum illam Naturam, quæ crucifigi & mori, sicq; etiam ex miseriâ verè exaltari & ex morte reduci potuit, quod fortean nullus, nisi & ipsam resurrectionem negarit. Quatenus vero eadem plenè cum suo fructu consideratur, quod ex morte viam ad vitam nobis ita *perruptor Mich. II. 13.* præparavit: agit in hoc apotelesmate utraque Natura, juxta proprietatem (& humana quidem non tantum juxta actum naturalem, sed & personalem, ut mox videbimus) cum communicatione alterius. Divina enim Natura humanam non tantum è morte educit, sed & hujus divinæ actionis exercitium humanitati ipsi communicat, ut ita in ipsâ personâ filij DEI rursus sese excitet, atque ex sepulchro viva redeat: & per hunc gradum elevationis, (cum potuisset alioqui statim post mortem ad DEI dextram confidere) nostri causa electum, salutem nostram ejusq; applicationem utraque Natura procurat.

## QUO PER EANDEM CUM PATRE POTENTIAM.

XI. *Surrexit, dicunt angeli, non est hic.* Resurrectionem quidem asserentes, resuscitantem vero non ita disertè nominantes: ad plenioram vero Resurrectionis Christi notitiam acquirendam nobis id indagandum erit. Certum est apud omnes, resuscitationem ex mortuis, non esse viribus Naturæ vel finitæ potentiæ assignandam; cum ex totali privatione ad habitum non detur regressus; atq; ita tantum divinam & infinitam virtutem, ut creare, ita & resuscitare possit. *Rom. IV. 17 II. Cor. I. 9.* Certum etiam est apud vere  
B Chri-

Christianos qui Trinitatem adorant, virtutem illam & potentiam esse omnibus tribus personis communem, sicut ipsa essentia divina: cumq; etiam ipsius humanitatis Christi resuscitatio, ad opera Trinitatis ad extra pertineat, juxta Augustini Regulam, Indivisa omnibusq; tribus personis communis erit. Quo & referimus illud Pauli. *II. Cor. XIII. 4.* quando eidem *Virtuti DEI & CHRISTI* crucifixi vitam, & nostram futuram adscribit. Et de Patre quidem nulla est controversia, Scriptura etiam disertè illud asserit, *quod DEUS patrum suscitavit Jesum Act. V. 30* quod *Deus Domini nostri Jesu Christi & Pater gloriae, secundum operationem potentiae virtutis ejus, operatus sit in Christo suscitans illum ex mortuis Eph. I. 17. 20.* quod *Christus excitatus à mortuis per gloriam patris Rom. VI. 4.* ubi eadem vox ἠγέρθη quæ indefinite in Evangelio ponitur, ad patrem refertur: non tamen hîc, vel ullibi in Scriptura, exclusive. Certum proin etiam est apud omnes Apostolici & Nicæni symboli confessores, ὁμοούσιον Patris & Filij, veramq; & æternam Salvatoris Deitatem ex scripturis agnoscentes, *Filium DEI* assumptam firmam humanitatem excitasse: est enim *Resurrectio & vita ipsa Job. XI. 25. est princeps vitæ Actor. III, 15. vita in ipso erat jam in ipsa creatione mundi Job. I. 4. vitamq; in semetipso habet Joh. V. 26. ipse ergo dejectum templum corporis sui excitavit Job. II. 19. secundum potestatem quam habet animam ponendi & sumendi. Job. X. 18.* Negant hoc Photiniani, qui veram Deitatem CHRISTI negant, at nos qui scimus & credimus verbis Christi. *Ego & pater unum sumus Job. X. 30.* nempe quoad essentiam & omnipotentiam: qui scimus & credimus verbis Christi *quæcunque pater fecerit τὰ ἔργα ἃ ἔγωγε ὁμοίως ποιῶ Job. V. 19.* plane non dubitamus. Certum denique est apud veros Christianos, Augustinæ Confessionis ἠγέρθη sic dictæ addictos, *humanitatem Christi* etiamsi secundum vires Naturæ proprias, animam & corpus iterum unire post mortem non potuisset; secundum tamen potentiam actus personalis, gratiæq; ex unione communicatæ, seipsam suscitare potuisse, quin & actu suscitasse. Quando enim Salvator ait *Job. X. 18. ego animam pono à meipso, potestatem habeo eam ponendi, & potestatem habeo iterum sumendi eam,* inde inferimus: Secundum quam Naturam Christus ponit animam à seipso, juxta potestatem quam habet eam ponendi, secundum

can-

eandem etiam habet potestatem eam resumendi. At non tantum secundum divinam, sed etiam humanam Naturam Christus animam, ex potestate eam ponendi, ponit: ac proin & secundum Eam potestatem resumendi habet. Quod itidem non tantum circumstantiæ illius loci, in quo de officio pastoralis agitur, adstruunt; sed & si quis negare auderet, is in gravissimas absurditates incidere; sequeretur enim exinde, Christum secundum humanitatem mortuum non ex voluntate sed necessitate; quæ ipsa tamen quia sancta & sine peccati labe, à mortalitate ipsa, nedum mortis necessitate immunis fuit: ut ita omnino secundum humanitatem potestatem habuerit moriendi; atque exin juxta ipsius effatum etiam resurgendi. A quâ fide *Calvinianos*, gloriæ Christi hostes, nos abducere non patimur: In Unione fundamentum communicationis idiomatum divinorum; in voluntate & verbo exercitii eorundem, in ipso etiam Exinanitionis infimo statu, salutis tamen infinitorumq; bonorum meritorio, ponentes.

## EX SEPULCHRO EDUXIT CORPUS ANIMÆ READUNITUM.

XII. Vir in sepulchrum Elisæi projectus vivus rediens *II. Reg. XIII. 21. 22.* surrexisse rectè dicitur, at si ipsius Prophetæ corpus mortuum ex sepulchro eductum fuisset, surrexisse tamen dici non posset. Requiritur ergo ad veram Resurrectionem, *corporis mortui vivificatio & dein rediviverectio*, quod supra simili evigilantis è somno & dein sese erigentis declaravimus. In Christi Resurrectione intermedius actus inter utrumque *Descensus ad inferos* fuit, sine temporis morâ & localitate concipiendus, de quo alibi. In vivificatione Christi invenimus *idem numero corpus*, quod crucis mortem sustinuerat, unde à præterito actû etiam num *crucifixus* ab angelo dicitur, & Lucas de mulieribus testatur quod ingressæ corpus Domini Jesu non invenerint; Angelus etiam uterque ad locum vacuum ubi posuerunt Dominum, ocularemq; inspectionem provocat, ut omnino corpus mortuum nec in sepulchro fuerit, nec ab ullo ablatum fuerit; qui error Mariæ Magdalenæ fuerat, ab ipso Christo visibiliter refutatus *Job. XX.* *Eandem vero animam corpo-*

si rursus restitutam, nec novam animam corpus informatum exinde certum est, quod angeli toties testantur, illum Jesum & Dominum, quem mulieres querebant, resurrexisse; qui alius utique fuisset, si novam informantem animam accepisset. Atque ita eodem corpore eademque anima, jam conjunctis iterum, vivus ille ipse est, (*ὅτι αὐτὸς ἐγὼ εἶμι Luc. XXIV. 39.*) qui ante mortuus fuerat: unde angeli *Luc. XXIV. 5.* ζῶντα viventem appellant, & mortuis opponunt, *quid queritis τὸν ζῶντα μὲ τῶν νεκρῶν, viventem cum mortuis:* ut ita de reviviscencia CHRISTI porro nullum esse possit dubium.

XIII. Et potuisset quidem ita redivivus statim vel in πῦρ beatorum conscendere, sine temporis morâ, & locali motu, sicut ita ad inferos descendisse supra monuimus; vel etiam eo ipso momento ad dextram Patris confidere, & exercitio divinæ Majestatis plenariè frui, sed fidei & salutis nostræ conducibilius fuit, ut sese redivivum orbi terrarum sifteret, atque ita ex sepulchro resurgeret. Hinc Angeli *Luc. XXIV. 6.* in memoriam mulieribus revocant CHRISTI verba, quando dixit *deï oportet tertia die filium hominis resurgere;* non ex absolutâ necessitate ex quâ, præsuppositâ morte, necesse erat filium hominis vivificari; sed juxta ordinem procurandæ nostræ salutis divinitus præscriptum atque electum. Ita ergo Resurrectionem in strictissimâ significatione acceptam hinc consideramus, & ad illam applicamus quod angelus dicit, *Resurrexit:* E. non aliò ab alio translatum corpus mortuum. *Non est hic:* E. secundum modum corporis mortui, (nam secundum illum modum ad unguendum querebant corpus mulieres, & non inveniebant *Luc. XXIV. 3.* hinc tam accurata lintheaminum relictorum descriptio *Job. XX. 5. 6. 7. 8.* instituitur,) non est amplius considerandum: omnis verò præsentia ratio hinc non neganda, aliàs nec secundum divinitatem præsens fuisset: & potuisset sese per dispensationem visibiliter præsentem sistere, si voluisset, ut & fecit *Job. XX. 14:* adfuit etiam secundum humanitatem divinè præsens per modum gratiosum, ex promissione *Matth. XIX. 20.* & si vel maximè non adfuisset juxta eam, per modum potentia conservantis & gubernantis, nil decederet universali regimini per sessionem ad dextram DEI plenariè suscepto; quia Resurre-  
 ctio

Etio tantum inter medius ad illam gradus fuit. *Ecce locum ubi po-*  
*suerunt eum:* E. ex loco ubi mortuus fuerat, secundum illam mor-  
talem & visibilem rationem, uti positus erat, vivus, vacuo illo re-  
licto, discessit, atque ita verè ex sepulchro surrexit. *Præcedet vos*  
*in Galilaam.* E. vivum corpus est, quia movetur; corpus sine  
Spiritu mortuum *Jac. II. 26.* & immobile est: corpus mortuum, &  
sine animâ pedibus incedere nequit. Cum ingressus esset Spiritus  
in interfectos, vixerunt & steterunt super pedes *Ezech. XXXVII.*  
*10. Ibi eum videbitis:* E. nec de resurrectione dubitabitis: visibi-  
lis enim illa præsentia, quàm per dispensationem 40 post resur-  
rectionem diebus liberè, prout voluit discipulis, exhibuit, certis-  
simum veri & redivivi corporis testimonium, Christo ipso hoc  
argumento discipulos convincente. *Luc. XXIV. 39. videte ma-*  
*nus meas & pedes meos, quia ipse ego sum, palpate me, & videte:*  
*quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habentem.*  
*Sicut dixit vobis.* E. hoc certissimè verum est; quia æterni Verbi,  
ipsius veritatis verbum & planè infallibile, hoc virtutem ver-  
titudinem habet, sensusque aperit, ut illud intelligamus & cre-  
damus, *Luc. XXIV. 44. 45. 46.* quod de Resurrectione Christi ra-  
tioni alioqui incredibile & incomprehensibile videtur. Atque  
ex hisce omnibus per legitimam & planè irrefutabilem conse-  
quentiam colligimus: *quod Christus ex sepulchro eduxit corpus*  
*animæ readunitum.*

## ET GLORIFICATUM.

XIV. Quas enim dotes glorificata piorum corpora secun-  
dum Scripturam habebunt, cum *Christi corpori glorioso erunt con-*  
*formia Phil. III. 21.* illas etiam ipsi Christi corpori denegare non  
possumus; sed in eodem, præsuppositâ & probatâ jam ejusdem  
corporis redivivi substantiali veritate, ut qualitates subjectivè &  
habitualiter inhærentes meritò consideramus. Quæ sunt: 1.  
*Spiritualitas, Resurgit enim corpus spirituale I. Corintb. XV.* Hujus  
dotis virtute Christus clausum sepulchri lapidem, *vid. sup. th. 9,*  
clausam januam *Job. XXIV. 19. 26.* penetravit, vestimento & ali-  
mento non indiguit; quod verò edisse legitur *Luc. XXIV. 43.*  
non fecit ex necessitate, sed liberâ voluntate; nec ad corporis  
proprii

proprii alimoniam, qua illud nec indigebat, nec eandem admittebat: sed ad fidei discipulorum confirmationem. 2. *Immortalitas*: ante mortem & passionem non mori Christus potuisset, quam Immortalitatem in statu Innocentiæ Protoplastæ habebant, ipse enim innocens erat; imò in ipsâ passione mori non potuisset nisi voluisset: post mortem & resurrectionem mori amplius non potest, quia nec vult. Negant Photiniani id donum in terris Christum habuisse, ne etiam nostrorum corporum substantiam cœlestis gloriæ participem fieri posse concedere cogantur; sed quia Christus *per mortem κατὰ ἐξήσθη destruxit robur mortis habentem Heb. II. 14. κατὰ ἐξήσθη destruens mortem, illuminavit vitam & αἰψοθάνατον II. Tim. I. 10.* quomodo mortalis adhuc & quoad corpus ipse destruendus porro fuisset? *Christus resurgens ex mortuis non amplius moritur Rom. VI. 9.* 3. *Impassibilitas*, videre corruptionem etiam in ipsâ morte non potuit, *Actor. I. 27.* at post resurrectionem particularibus etiam alterationibus subjectus porro non fuit. 4. *Claritas*, quam exseruit Christus, quando in diversorio Emauntico *invisibilis αἰψοθάνατος factus fuit ut Luc. XXIV. 31.* expresse asseritur. 5. *Potentia*, *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute DEI II. Cor. XIII. 4.* hæc potentia exterruit custodes, & facti sunt velut mortui *Matth. XXIX. 4.* 6. *Formositas*: & fuit Christus *speciosus præ filiis hominum Ps. XLV. 3,* sed in passione *despectus & abjectus inter viros fuit Es. LIII. 3.* at resurrexit in gloriâ. Cicatrices retinuit in latere, manibus & pedibus *Job. XX. 27.* sine ulla deformitate, ex libera voluntate ad piorum consolationem, impiorum redargutionem. 7. *Agilitas*, ubicunque esse voluit, in momento fuit; nunc circa sepulchrum, nunc in viâ Emaunticâ, nunc apud Simonem, nunc in medio discipulorum: & certè si tantum localiter moveri potuisset, necdum in cœlum Empyræum Calvinisticum & Jesuiticum pervenisset. Nec verò hisce dotibus obstat, *quod angelus incessum & adspectum ei hinc tribuit: per œconomiam enim & dispensationem id factum; cum oculi discipulorum incapaces essent ad recipiendum corpus spirituale, ejusque claritatem plusquam angelicam in sese sustinere non potuissent; ideo ut in fide de ejus resurrectione informarentur & confirmarentur, dotes hæc & radios claritatis liberrimè quando & ubi voluit repressit & cohibuit.* Ut



# UT IN OPERE MEDIATORIO PERFICERET NOSTRAM SALUTEM.

XV. Resurrectio Christi non tantum passivè consideranda est, ut glorificati corporis & animæ readunitio, prout affectionem humanitatis esse diximus: sed etiam activè, ut per resurrectionem opus aliquod mediatorium peregit. Ad officium enim ipsius pertinet quoque promeritorum beneficiorum applicatio; atque ad meriti perfectionem victoriosum complementum; hoc esse, illa fieri non potuisset, si Christus in morte mansisset. Resurrexit ergò ut Jesus, Salvator & Redemptor noster; *resurrexit propter justificationem nostram Rom. IV. 25.* Si in morte mansisset, satisfactio præstita sufficiens non fuisset, sponsore nostro in carcere retento; si in morte mansisset, peccatum nondum expiatum plenè fuisset, quia stipendium peccati mors residuum aliquod haberet: mors nondum absorpta in victoriam fuisset, quia mortuum devictum retinisset: Diaboli potestas nondum debellata fuisset, Diabolus enim qui mortis robur habet, potentiam suam per mortem exse-ruisset. Ira patris nondum placata fuisset, quia pœnas adhuc pro peccatis nostris à Christo exigeret. Essemus ergo adhuc sub maledictione, condemnatione, metu gehennæ, alioq; Salvatore indigeremus. At demonstratâ resurrectione Christi omnia ista sequuntur, perfectusq; Mediator, Redemptor & Salvator, sponsonis imple-tione, plenariâ persolutione & sufficienti applicatione exinde pro-batis, conspicitur.

## ΠΡΑΞΙΣ

XVI. Faciant dicta *ad summam tuam consolationem.* Omnium terri-biliū terribilissimum mors est; Conscientia tua id te docente, experientia idem contestante, omnibusq; etiam sapientissimis Ethnicorum hoc ipsum asseverantibus; nullū verò certius firmissq; contra mortem, quam Resurre-ctio mortuorum, morti quippe directè opposita, solatium; at nostra resur-ctio ex resurrectione Christi efflorescit, ista in hac fundatur, hæc illius im-mediata, quoad pios, & essentialiter cohærens causa existit. Rationi ta-men ea penitus fermè impervasibilis, quæ difficulter, & non nisi sub fidei obsequium captivata admittit, quod manipulus cineris, & quidem in ære & aqua dispersi quandoq; debeat idem numero homo qui ante fuit, iterum esse: quod ab Anthropophagis (& illis quidem qui per solam huma-nam carnem nutriti à juventute fuerunt, suoq; ex semine similes propa-garunt,

garunt, quibus nihil nisi ab aliis hominibus eorumque essentia decer-  
ptum communicare potuerunt) devoratus, non in illorum, sed suo pro-  
prio, sicut & illi ipsi Anthropophagi, debeat resurgere, quæque alia pla-  
nè absurda rationi videntur. Firmissimè nihilominus eadem nostra  
Resurrectio ex Christi Resurrectione plurimis argumentis ab Aposto-  
lo I. Cor. XV. probatur. In mortis ergò agone non tuam mortem, sed  
Christi resurrectionem intueri, & mortis terror omnis abibit. Christus  
enim qui resurrexit caput tuum est, num vivum caput mortuum habebit  
membrum? num caput in caelis dominabitur; membrum verò in sepul-  
chri pulvere captivum hærebit, vel planè in nihilum redigetur? num  
Spiritus capitis in membra diffusus, membrum non vivificabit, sed quod  
ipsum templum est, in pulvere mortis relinquet? perripit caput, membra  
sequentur Mich. II. ut caput, sic nec membra sepulchralis lapis retinere  
potest; ut caput instar Jonæ è ceto evalit, sic & membra post se trahet; ut  
in capite mors venenum hausit, sic idem in membris, in quibus caput  
per fidem habitat, vires suas exseret. *Præcedet vos, E. comites eritis;  
Videbitis eum, E. cum eo eritis.* Dic ergò ô fidelis anima in omni  
anxietate: *Scio quod Redemptor meus bibit: qui dixit verè: Vivo E. vos  
bibetis, Job. XIV.*

XVII. *Faciant ad seriam exhortationem*, ut Christo resurgente  
nos quoque spiritualiter cum eo resurgamus. Resurgit Christus destru-  
ctor inferni, & tu peccatis novam gehennam tibi incendes. Absit hoc  
longissimè, surge ocysissime cum Christo hodiè per pœnitentiam, ut è se-  
pulchro aliquando surgere queas ad gloriam. Vivus hodiè resurgit  
Christus, vivat & in te: vivum caput viva requirit membra, mortua re-  
secantur; nec in Christo, sed ex justitiâ in ignominiam excitabuntur. Bea-  
tus, qui habet partem in resurrectione primâ. Quid prodesset Chri-  
stum resurrexisse, si tu secunda morte morereris? quid prodesset resurgen-  
tem Christum coelestia restituisse bona, si in te per fidem non viveret,  
nec tu bonorum illorum particeps fieres? Surge ergò cito gratiose, sic  
vi resurrectionis Christi surges olim gloriosè.

XIIX. *Faciant denique ad severam debortationem*, ne propria  
malitiâ resurrectionem Christi in propriam perniciem vertamus. Ut piis  
Christi resurrectio gaudium, ita impiis terrorem excitat; sic custodes se-  
pulchri fiunt veluti mortui. Id si efficit minister resurgentis solo adspe-  
ctu, quid Dominus ipse facere potuisset? Audiant hoc hostes Christi &  
membrorum ejus: *Vivit Christus, & victor omnium hostium vivit; vivum  
sele aliquando illis monstrabit, quando dicent frustra montibus, Cadite  
super nos. Terra enim, quæ ipso resurgente tremuit, tunc redeunte ita  
fugiet, ut locus ei non inveniatur. Desistite ergò ab Esaia cap. II. moniti.  
Tu verò pia anima confide, sæviant hostes, rugiat infernalis leo, Tyran-  
ni torqueant, enecent. Vivit jò Salvator tuus! & quia Salvator tuus,  
te quoque vivificabit, resuscitabit, glorificabit,*

*Amen Fiat!*

ra  
o-  
ra  
o-  
ed  
as  
it  
i.  
m  
ed  
ra  
re  
ut  
ut  
s;  
ni  
06  
te  
u-  
ne  
e-  
it  
e-  
a-  
i.  
n-  
t,  
ic  
ia  
is  
e-  
e-  
&  
m  
te  
ra  
i.  
i-  
h

05 A 1061

ULB Halle

3

003 755 002




V017

001







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



21

*Jesu!*  
**RISTI RE-**  
**ONE**  
*l. Paschal.*  
**E**  
**RO D. & P.P.**  
**NYMMANNO Misn:**  
 auditorio magno,  
 1645.  
*G Æ*  
 Wendt.

